



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

LXXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

dicebatur. Qui tollentes Martinum Papam de Ecclesia Saluatoris, quæ Constantiniana appellatur, perduxerunt Constantinopolim, & nec sic eis acquieuit. Quapropter directus est in exilium, vel locum qui dicitur, Cersona, ubi, sicut Deus placuit, vitam in pace finiuit sub die 17. mensis Septembris. Qui confessor multa mirabilia operatur usq; in hodiernum diem.

LXXVII.

EVGENIVS, natione Romanus, de regione prima Auentinensi, clericus à cunabulis, ex patre Rufiniano, sedet annis 2. mensibus 9. diebus 24. His temporibus Petrus patriarcha Constantinopolitanus direxit Synodicam iuxta consuetudinem ad sedem Apostolicam omnino obscurissimam, in qua non declarauit operaciones aut voluntates in Domino nostro Iesu Christo. Vnde accusus populus vel clerus cum maiore strepitu eam à sancta Dei Ecclesia proiecerunt, ita ut nec eundem Papam dimitteret Missas celebrare in basilica sanctæ Dei genitricis Mariæ ad praesepe, nisi promisisset se minimè eam suscepturnum. Qui etiam sepultus est ad B. Petrum Apostolum sub die 4. nonas Iun. Et cessauit Episcopatus mense 1. diebus 28.

LXXVIII.

VITALIANVS, natione Segnensis, ex prouincia Campania, ex patre Anastasio, sedet annis 14. mensibus 6. Hic direxit responsales suos cum Synodica iuxta consuetudinem in regiam urbem ad piissimos Principes, significans de sua ordinatione. Cuius temporibus venit Constantinus Augustus Romam, suscepitus ab eodem Papa, cui & occurrit, inductione sexta, quinto milliario ab urbe. Cumq; per duodecim dies in ciuitate Romana demoratus per diuersa loca plurima dona obtulisset, omnia quæ erant in ære ad ornatum ciuitatis depositus. Sed & Ecclesiam S. MARIAE ad Martyres tegulis æreis discooperuit, & cum aliis rebus in regiam urbem direxit. Reuersus autem Siciliam habitavit Syracusis, ubi tales afflictiones populo prouinciarum Calabriæ, Siciliæ, Africæ, vel Sardiniae per diagrapha, seu capita atque nauticationes imposuit, quales à saeculo nunquam fuerant auditæ, auferens vas a sacra, vel cimilia sanctorum Dei Ecclesiarum. Qui postmodum 15. die mensis Iulii, per inductionem 12. proditus in balneo occisus est. Secuta est statim mors sanctissimi Vitaliani, qui sepultus est ad S. Petrum Aposto-